UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr - Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Sectio I. Vtrùm hæc transsubstantiatio in conceptu suo formali involvat actionem productivam corporis, aut sanguinis Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

Visual Library

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA QUARTA.

De tranſſubſtantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti.

VERUM Chriſti Corpus & Sanguinem ſimul cum animâ & divinitate in hoc Sacramento contineri, contra hæreticos id negantes luculentiſſimè probat Bellarminus libro primo, ſecundo, tertio, & quarto de Sacramento Euchariſtiæ, Vaſquez diſp. 179. Suarez quæſt. 75. artic. primo, Valentia diſp. 6. quæſt. 3. Coninck quæſt. 75. Alanus, Sanderus & alii. Hæc veritas fusè declarata eſt ſuprà, nunc — I. *Quinam hoc tempore veram præſentiam corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiâ probent contra hæreticos.*

Probatur breviter primò ex Scripturâ, nam Matthæi 26. & Marci 14. dicit Chriſtus: Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus: *& addit:* quod pro vobis datur, qui pro vobis effundetur; *quibus verbis tanquam fulmine quodam confodiuntur hæretici, licèt ut eorum vim effugiant mirum ſit, in quot ſe partes verſent: unde ante aliquot annos liber prodiit, qui horum quatuor verborum:* Hoc eſt corpus meum; *ducentas diverſas explicationes contineat, cum tamen conſtanter Patres ea de verâ & reali Chriſti in hoc Sacramento præſentiâ intelligant. Idem conſtat ex aliis Scripturæ locis, ut Ioannis ſexto:* Caro mea verè eſt cibus: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in illo; *& ſimilia, quæ ſuperiùs attulimus.* — II. *Ex divinis Literis oſtenditur Chriſtum in Euchariſtiâ verè ac realiter exiſtere.*

Definitum præterea hoc eſt in Concilio Lateranenſi, item in Florentino & Tridentino, ſempérque in Eccleſiâ Catholicâ hanc doctrinam viguiſſe conſtat, & contrariam à toto Orbe ut falſam & hæreticam fuiſſe exploſam, coactuſque eſt Berengarius illius auctor eandem publicè recantare. — III. *Hæc etiam veritas à variis Conciliis eſt definita.*

SECTIO PRIMA.

Utrùm hæc Tranſſubſtantiatio in conceptu ſuo formali involvat actionem productivam Corporis aut Sanguinis Chriſti.

I. *Quæ ad Tranſſubſtantiationẽ ſpectãt, tum in genere, tum ut ad hoc myſterium pertinet, fuſiſſimè declarata ſunt in Philoſophiâ.*

QUÆSTIONEM tum de transſubſtantiatione generatim ſumptâ, tum eam ad hoc myſterium applicando, converſionem panis ſcilicet & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, fuſiſſimè tractavi diſputatione tertiâ de generatione per totam. Quare cùm nihil ibi dictis addendum occurrat, eò Lectorem remitto, ut in aliis quæſtionibus in Philoſophiâ tractatis ſæpiùs feci, ne actum agam & idem inutiliter repetam. Quæſtionem etiam illam an idem poſſit ſecundò producere ſeipſum, quæ à nonnullis hoc loco tractari ſolet, latè diſcuſſi diſputatione decimâ nonâ Phyſicorum, nec opus eſt quidquam hîc adjicere.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN